

1757.

1. Albrechtus, Trajanus modernus : De mero imperio.
2. Bauer, Trajanus Grapponis, fac. iur. procuratorialis :
Programma, quo summos in utraque fine honores
Iohannus Fredericus Zopffero - . tribuendo
indicit -
3. Bachnius, Dr. Gallat : De commerciorum
apud Germanos initio. Constatatio, orationis
ad hanc praemissa.
4. Bachnius, Dr. Gallat : De principe exemplis
Imperatorum regumque Romanorum - Germanorum unius
informando. Ratio - . in uspiis Praeses -
stria numeris pronunciata.
5. Gutschmid, Christ. Gottschaff : De justis mercatorum
iz exigendis undis ex mora
6. Herinius, Grapponis, fac. phil. procuratorialis :
longitudinem Lypsicæ ex eclipsibus lunariis
refinere studet. simulque et cœpendio summas
i'z philosophia honores iurit.

1757.

7. Hommelius, Carolus Ferdinandus: Pro summa parte
contra regis latitatis defensores.

8. Hommelius, Ferdinandus Augustus: Septuaginta annus
absens factus, quanto mortuus processuatur?

9. Ziefflerus, Iohannes Fridericus: De mortis causa
capionibus.

10. Mylius, Ferdinandus Henricus: De genuis juris
Germanicis universalis hostium privationis con-
ceptu medique, "Mud the Norum in ordinem
redigendi".

11. Platner, Fridericus: De legibus Romanorum cum lexis

12. Richterus, Dr. Tobias: Selectione juris principia 18.

13. Richterus, Dr. Tobias: Selectione juris principia

17.

14. Richterus, Iohannes Tobias: De contractu rato manente,
paena brevi conventionalis inde sit soluta.

1757.

15. Ritterus, Dr. Tobias: De obligatione imperfecta ex honestate, iuri ciuitatis auctoritate perfecta.
16. Ritterus, Dr. Tobias: Tres matrimonii fiduciarum in Germania tum inter se tum in altero coniuge ad sacra Christiana transiit
17. Ritterus, Jakobus Flores 1. b. s. p. d. : Programma, quo ad Disputationes publicas iuristat.
18. Ritterus, Jakobus Flores, fac. jus. pro cancellario : Programma, quo solemnia doctoralia Joh. Daniellis Henselplager ... in Die
19. Sammet, Iacobus Gubris : Inseratio academicus exhibens varia iuri ciuitatis capita
20. Siegel, Jo. Gubris : Inseratio juris dicta, Selecta iuriis Rigeniorum Cambialis capita explicata, atque observationibus illustrata exhibens.

1751.

21. Wilke, Iwan. Georgius Schrekt: de Theodoro co
juniori sive Ticerano, landgravio Thuringiae
Orientalis et Lusatiae Marchione.

22. Windeler, Cuius Prospex: Discrimen inter
Utriusque iuris iustitiam jure veteri ac noviori,
et utrumque effectus

23. Zoller, Fridericus Gallus: De praevalente
disponendi ultima voluntate, circuagradat
in praejunctis casis fieri.

38.

1751, 12.

D I S P U T A T I O I V R I D I C A
DECIMA OCTAVA
S E L E C T I O R A I V R I S
P R I N C I P I A

A D

O R D I N E M D I G E S T O R V M E X P O S I T A
L I B R I X I I . S P E C I M E N I I . C O N T I N E N S

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S
I N D V L T V
P R A E S I D E
I O . T O B I A R I C H T E R O
P H I L . E T I . V . D . N E C N O N P R O F . P V B L .

A D D I E M I V . N O V E M B R . A . C . N . M D C C L I .

H . L . Q . C .

P V B L I C E V E N T I L A N D A M P R O P O N I T
M . C A R O L V S H E I N R I C V S B O E H N ,
V R A T . S I L .

L I P S I A E
L I T T E R I S L A N G E N H E M I I S .

三

V I R O
MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO IVRIVM
CONSULTISSIMO AMPLISSIMO
D O M I N O
I O A N N I G O T T L I E B
S I E G E L I O

I. V. D.

IVR. FEVD. PROF. PVBL. ORD. ACADEM.
SYND. CUR. SVPR. PROVINC. NEC NON
CONSISTOR. LIPS. ADVOCATO

CELEBERRIMO
PATRONO AC PRAECEPTORI SVO
OMNI HONORIS ATQUE OBSEQVII
CVLTV PROSEQVENDO

HANC
DISSERTATIONEM
IN ANIMI GRATISSIMI SIGNVM
SINGVLARIVM BENEFICIORVM
HAVD IMMENOR
PIA AC DEVOTA MENTE
ADIECTO OMNIS FELICITATIS SALVTISQUE
VOTO
D. D. D.
SEQVE IPSIVS FAVORI ET PATROCINIO
IN POSTERVUM QVOQVE DE MELIORI
COMMENDAT
CAROLVS HEINRICVS BOEHN M.



Q. D. B. V.

SELECTIORVM IVRIS
PRINCIPIORVM
AD DIGESTORVM
LIBRVM XII. SPECIMEN IL.

I.

Principia iurisiurandi primaria ex iure diuino, potissimum naturali, petenda sunt, quia cuius iuranti cum Deo res est. Illa vero paucis ita tradi posse videntur: Quoties veritatis professio laesionem impedit, toties dicenda est veritas, quia nemo, nec vlla ratione laedendus est, adeoque nec per falsiloquium. Qui vera loquitur, signa exhibet, ex quibus cogitata loquentis intelligi possunt; hinc toties, quoties ab aliquo vera cognoscere nostra interest

A 3

signa

6 SELECT. IVRIS PRINCPIA

signa sunt exhibenda, quibus quis vera se dixisse declarat. Ad haec signa merito etiam pertinent voces, quas eo respectu, quo quis animum dicendi veritatem profitetur, DD. contestationes appellant. Ex his, ipsa facile patet iurisiurandi definitio, quod sit *Contestatio, qua quis, nisi vera dicat, ad vindictam diuinam prouocat.*

II.

Vbicunque nulla laesio metuenda est, aut vbi quis eo, quod verum dicat, contra Leges agit, laeditque alterum, ibi vis iurisiurandi nulla, sed a iurante potius in Deum peccatum est. Neque iusiurandum nouam obligacionem producit, sed perfectissimam iam supponit eamque confirmat. Quilibet enim ad eiusmodi contestationem ideo est obstrictus, ne quis laedatur aut Leges violentur. Hinc facillimum est iudicatu, quid valeat illud Iuris Canonici caput: ^{a)}) omne iusiurandum, quod salua salute aeterna seruari potest, seruandum est.

a) C. 28. X. de iureiurand.

III.

Qui dolo alterius persuasus aut vi metuque coactus iurauit, relaxatione non indigere, sed iusiurandum utroque casu in se nullum esse multi

multi DD. affirmant.^{a)} At vero rectius distinguendum est, vtrum perfecta quaedam, an vero nulla iurantis obligatio praecesserit. Postremo casu lubens quidem propositae communi opinioni accedo, quia tum iure nullius interfuit, eum qui non obligatus erat, veritatem profiteri; sed casu priori, vbi quis perfecte obligatus erat, aut obligationem, interueniente relaxatione, remittendam esse, aut eum, qui etiam dolo inductus vel vi compulsus iurauit, teneri, firmiter assero. Quamuis enim dolum et metum iustum tanquam media exigendi iusiurandum illicita ipse penitus reprobem: non tamen video, quomodo alterius illicitus exigendi modus meam obligationem tollat.^{b)} Ita quidem dolo vel metu alterius iurans, quatenus eo actu demum ad alicuius rei promissionem allicitur, non tenetur, quia nec antea quicquam debebat: ast qui dicto modo de eo, quod antea valide promiserat, iurat, is aut relaxandus erit, aut ob iusiurandum tenebitur, quia validam praecedentem obligationem tantum confirmavit et obligatus mansisset, etsi non iurasset.

a) De dolo exigentis conf. SICHARD. ad Auth. Sacra-
menta Puberum. C. si aduersi vendit. n. 41. CARPZ.
P. II. Conſt. 35. def. 2. et LAVTERBACH Colleg. Pan-
dect. L. XII. Tit. 2. §. 31. ob L. vlt. ff. qui fatisd. co-
gant. et L. vlt. pr. ff. ad municipal.

De

8 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

De metu illato vid. STRYK. VI. Mod. Lib. XII. Tit. 2.
§. 20.

b) Intuitu iuramenti metu extorti nobiscum consentit
LAV T E R B A C H. alleg. loc. §. 29.

Obst. L. 13. ff. quod met. causa.
Dissent. laudati DD. all. loc.

IV.

Etiam per procuratorem iurari potest, ita
vt mandans perinde ac si ipse iurasset, tenea-
tur. Nam ex iure naturali certum est, aliquem
alicuius facti causam moralem esse posse, et si id,
quod factum est, ipse non fecerit, cum et hoc
nobis imputari possit, quod per alios fieri cu-
rauimus. Idque ius ciuale non minus probat,
ex quo manifestum est, eum, qui per alium
quid fecit, id ipsum fecisse videri.^{a)} Deinde
pacisci et iurare unius est efficacie; ^{b)} cum
autem pacisci per alium liceat, pariter per
alium iurare non potest non licere.^{c)} Vbi
vero vel Legibus vel consuetudine aliud in-
troductionum, ibi non est, quod multum dispute-
mus; ita in purgatorio iurejurando procura-
torem non admitti ex usu forensi constat.

a) arg. L. 50. ff. de procurator, add. L. 1. pr. eod.

b) arg. L. 2. ff. de iurejur.

c) vid. L. 9. §. 6. ff. de iurejur. et C. vlt. de iurejur. in *stro.*
Dissent. IVST. OLDEKOP in diff. de iurejurando in
alterius animam; qui per procuratorem iurare irre-
ligiosum, iure Gentium inauditum iureque ciuili
prohibitum esse affirmat.

CARPZOV.

AD DIGEST. LIB. XII. SPECIM. II. 9

CARPZOV. P. I. Conſt. 12. def. 39. n. 6. 7. 8. conſul-
tius eſſe ſuadet, ſi in propria perſona iuretur, in
quo me quidem haud penitus habet diſſentientem.

V.

Periurium eſt abuſus nominis diuini iure-
iurando contra veritatem dolo admiſſus.^{a)}
Iurans enim ad vindictam diuinam, ſub falſilo-
quii conditione, prouocat; hinc in Deum eru-
cat, eiusque sanctiſſimo nomine abutitur, qui
ſe verum dixiſſe ore professus, nihilominus fal-
ſo iurauit, adeoque periurus poenaque dignus
eſt. Quae periurii definitio ex Ordinatione
Criminali^{b)} vberius patet, vbi periurium eint
falſcher Eyd, item das Falſchſchwören, periur-
rus autem einer der falſchlich geschworen hat,
nec non ein Falſchſchwörer appellatur. Ex his
merito infertur periurium ibi tantum com-
mitti, vbi ad vindictam diuinam vere prouo-
catum eſt.

a) arg. L. 26. pr. ff. de iureiur. ibi: *ſciens fallere non vi-
deatur.*

b) Ord. Crimin. art. 107.

Conf. B. RECHENBERGII diſſ. de mendacio et in ſpe-
cie eo, quod in foro humano punitur; et Ill. GODO-
FRED. LVDOV. MENCKEN. diſſ. de cauſa ob praefiti-
tum iuramentum iudiciale deciſa, probato periurio,
redintegranda §. 4.

B

V. In

IO SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

VI.

In voluntario extrajudiciali sic dicto iuramento de poena periurii commissi vix quaeri potest; illud enim indeolem iurisurandi ne quidem continet, cum impune recusari, neque inuito referri possit.^{a)} Accedit quod in formula conuenta praestari soleat, veluti per barbam et quae sunt reliqua: *vtrum vero is, qui per barbam aliquid contra veritatem confirmavit, nomine diuino sit abusus, merito dubitamus.* Neque nocet, quod Imperator **IUSTINIANVS**^{b)} statuat, actionem ex hoc iureurando dari, *per quam non illud quaeritur, an ei pecunia debeatur, sed an iurauerit;* nam hoc iusiurandum ad conuentionum genus magis pertinet et vox: *iurauerit*, hoc loco improprius, quod natura rei docet, accipitur. Deinde ipsa haec imperatoris constitutio nostram sententiam probat, cum ex illa haud quaeratur, *an pecunia vere debeatur, quod dictum non fuisset, si de periurio mouenda esset quaestio,*^{c)} quandoquidem turpe lucrum nemini relinquendum. Attamen huic nostrae sententiae tum limites ponendi sunt, ubi partes de formula iuratoria, *so wahr mir Gott helfe*, conuenerunt.

a) L. 17.

AD DIGEST. LIB. XII. SPECIM. II. II

- a) L. 17. pr. ff. de iureiurando.
- b) §. 11. I. de Actionib.
- c) conf. L. 1. C. de reb. credit.

VII.

Iusiurandum iudiciale deferri etiam potest infami et de perjurio suspecto. Etenim vterque ius suum amitteret, aliis probandi mediis destitutus, nisi iuriisurandi deferendi gauderet facultate. Adhaec si de facto rei proprio iurandum est, reus ipse tantum iurat, nec ideo metuendum, actorem de perjurio suspectum peieraturum esse, si iusiurandum referatur, quia referre non licet: contra si forte relationi locus sit, factum tamen commune supponitur, quo casu reus ipse iurare potest, nec opus habet, ut illud referat actori.

Obstat. arg. L. 35. §. 1. ff. de iureiurando.
Dissent. CARPOV. P. I. Const. 14. def. 6.

VIII.

Iudiciale iusiurandum probato perjurio retractari debet, quia perjurium, tanquam factum dolosum, iuriurando eiusque valori contrarium est, neque inquam illud cum hoc stare potest. Nam si iuriisurandi naturam in se spectes, a iurante dicenda est veritas; quo officio neglecto perjurioque commisso, ut iuramentum nullum sit, necesse est, quia periu-

12 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

rus dolo veritatem celauit. Adhaec iusurandum iudiciale conuentionem seu pactionem partium simul continet: ^{a)} pactiones vero dolo adulteratae vel nullitate corruunt, vel per actionem aut exceptionem doli mali infirmantur, ^{b)} vnde consequens est, vt illud iusurandum non possit non etiam nullum esse. Denique hanc totam rem imperator IUSTINIANVS ^{c)} confecit, his verbis: *Cum quis legatum vel fideicommissum vtpote sibi relictum exigeret, et testamento forte non apparente, pro eo sacramentum ei ab herede delatum esset, et is religionem suam praestasset, affirmans sibi legatum vel fideicommissum derelictum esse, et ex huinsmodi testamento id, quod petebat, consecutus esset; postea autem manifestum esset factum, nihil ei penitus fuisse derelictum etc.* Nobis itaque melius visum est, repeti ab eo legatum vel fideicommissum, nullumque ex huinsmodi periurio lucrum ei accedere. Cuius Constitutionis verba vltima rationem Legis vniuersalem egregie commonstrant. Quae vero huic sanctioni refragari videtur constitutio ANTONINI ^{d)} rectius de iureiurando voluntario extrajudiciali, ob verba: *ex consensu utriusque, capienda est.*

a) L. 1. L. 25. L. 26. §. 2. L. 35. §. 1. ff. de iureiurand.

b) L. 1. §. 1. L. 7. pr. et §. 3. ff. de dolo mal.

c) L. vlt.

- c) L. vlt. C. de reb. cred. et iureiurand.
d) L. i. C. de reb. cred. et iureiurand.

Ea de re legi meretur laudati MENCKENII diss. de causa ob praestitum iuramentum iudiciale decisa, probato peririo, redintegranda.

Obst. L. 5. §. 2. L. 11. §. 3. ff. de iureiurand. L. i. C. de reb. cred.

Dissentient multi.

IX.

Mortuo iuraturo iusiurandum a defuncto praestandum pro praestito haberi nequit. Et enim omne iuramentum supponit contestationem, qua quis verum se dixisse professus est.⁴⁾ Quotiescumque autem iuraturus, absque hac contestatione vere exhibita, decessit: toties id neque secutum est, neque fieri amplius potest, sine quo tamen iusiurandum cogitari nequit; Quis igitur id, quod factum non est, factum tamen esse, adeoque iusiurandum nondum praestitum, tamen praestitum esse, affirmabit? Nec illa ratio congrua deprehenditur, ex qua id quidem firmiter colligi potest, cum ab eo, quod fieri potuit ad id, quod factum est, nulla iusta valeat conclusio. Male igitur distinguitur inter casum, quo defunctus ad iurandum fuit paratus, atque inter eum, quo iuratus tergiuersatus est atque morte fuit praeuentus. Vbi vero deferens vel iusiurandum delatum remisit, vel de calumnia iurare detracta-

14 SELECTIONA IURIS PRINCIPIA

uit, quin delatum iuriurandum etiam nondum praestitum pro praefito habendum sit, nullus dubito, siue iuraturus adhuc sit in viuis siue mortuus. ^{b)})

a) h. diff. pos. I. conf. MENOCH. de Praesumt. Lib. V. praef. 5.

Dissentient GAILIVS L. II. obs. 43. MYNSINGER Cent. I.
obs. 13. BERLICH Part. I. Conclus. 55. n. 14. aliique.

b) L. 6. et L. 37. ff. de iureiur.

X.

Suppletorio iuriurando in causis matrimonialibus quoque locus est; nam in hoc litiū genere non minus reipublicae interest, ut veritas eruatur atque lis finiatur. ^{a)}) Neque gravitas causae quam alii opponunt, neque matrimonii libertas, contra quam actor hoc modo iurare videtur, potest obesse; nam et graues causae aliquando finienda sunt, et suppletorium, quod omnes fatentur, tunc demum obtinet, si maxima pro iuraturo sunt coniecturae: libertas vero in se quidem seruanda est, ne quis inuitus in matrimonium ducatur; attamen is, contra quem de consensu in futuras nuptias sunt argumenta, inuitus appellari nequit.

a) L. 3. C. de reb. cred. et iureiurand.

Dissent. LAVTERBACH. Colleg. Pandectar. L. XII. Tit.
2. §. 77. ibiq. alleg. DD.

XI.

XI.

Qui iuriandum defert, is **VLPIANO**^{a)} docente, prior de calumnia debet iurare, si hoc exigatur: deinde sic ei iurabitur. Haec est regula, a qua tamen nonnullae personae excipiuntur, quibus ipso iure de calumnia iurare remissum est.^{b)} Quas inter personas exceptas, vtrum patroni sint atque parentes? dudum orta et inter DD. agitata est quaestio. **VLPIANVS** ea in re parum sibi constans esse, dubieque ad illam quaestione respondere videtur; ait enim: ^{c)} *hoc iuriandum de calumnia neque patrono neque parentibus remittitur.* Alibi vero in contrarium de patrono statuit: ^{d)} *Sed et si ipse deferat iuriandum libertae sua, de calumnia non debet iurare;* idque alio loco fusi adhuc defendit, quandoquidem de parentibus atque patronis confirmat: ^{e)} *eos nec deferentes iuriandum de calumnia iurare, addita ratione*^{f)} *quia de calumnia patroni queri non debet libertus, et quia honor his personis habetur.* Cum igitur, quid in hac Legum diuersitate valeat, valde dubium sit, de illarum Legum conciliatione merito cogitandum est. Qua in re alii quidem emendatione priuata, verborumque correctione, licet contra interpretis officium

vten-

16 SELECT. IURIS PRINCIPIA ETC.

vtendum suadent. ⁵⁾ Ego vero in hac re-
rum dubietate vel expressa Lege vel consuetu-
dine contraria opus esse arbitror, cum in
utramque partem ex Iustinianeo iure apud
nos recepto, disputari, et ex Legibus allatis
duae sententiae sibi aduersae defendi omnino
queant.

a) L. 34. §. 4. L. 37. ff. de iureiurand.

b) DONELL. Lib. XXIV. C. 21. Lit.. D. VMMIVS Disp.
ad Process. Disp. 12. th. 8.

c) L. 34. §. 4. ff. de iureiurand.

d) L. 16. ff. eod.

e) L. 7. §. 3. ff. de obsequ. parent. et patron.

f) all. L. §. 4.

g) BRVNNEM. ad L. 9. C. de reb. credit. n. 9.



ULB Halle
005 361 842

3



WIP

B.I.G.

Farbkarte #13



38.

1751, 12.

D I S P V T A T I O I V R I D I C A
DECIMA OCTAVA
**SELECTIORA IVRIS
PRINCIPIA**

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
LIBRI XII. SPECIMENII. CONTINENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
INDVLTV
P R A E S I D E
IO. TOBIA RICHTERO
PHIL. ET I. V. D. NEC NON PROF. PVBL.

AD DIEM IV. NOVEMBR. A. C. N. MDCCCL.

H. L. Q. C.

PVBLINE VENTILANDAM PROPONIT
M. CAROLVS HEINRICVS BOEHN,
VRAT. SIL.

L I P S I A E
LITTERIS LANGENHEMIIS.

